

Quando jussu angeli servavit Isaacum, ejusque loco arietem mactavit. Isaac hoc loco divinam Christi naturam, aries humanam innocentissimam notavit. Rursum ovis Christum, Isaac mundum. Ovis innocens mori debuit, ut homo nocens, qui quasi per risum (quod significat Isaac) peccat, salvus fiat. Quomodo sine dolore et lacrymis ferat hoc peccator? David videns populum suum plecti morte et peste ob peccata sua, exclamat: *Ego sum qui peccavi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Jam si S. Greg. Nyssenus aspiciens imaginem Abrahamæ filium immolantis continere lacrymas non potuit, uti fertur in orat. de deitate Filii et Spiritus S. nos aspicientes imaginem Dei Patris immolantis Filium a fletu temperabimus? Quid enim plus est immolari filium hominis, an immolari Filium Dei? Abraham vidit morientem arietem, non vidit morientem filium suum: contentus fuit Deus prona voluntate Abrahamæ et filii ejus; unde filium ei donavit; sed non ita Deus egit cum Filio suo, qui post tot tantosque cruciatus mori denique debuit. O qualis morbus est peccatum, quod non nisi morte Filii Dei potuit deleri! Medici et chirurgi extrema quæque tentant, antequam pedem aut brachium resecent affecta. Quid non tentatum ut peccatum sanaretur! Sed nihil profectum, abscindi ipsum caput debuit. Denique Abraham non nisi per umbram vidit morientem Dei Filium. Non audivit cum clamore orantem: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, non inclinantem caput, non vidit clausa illa lumina, quæ mundo lucem dabant, non pallentem faciem, non rigentia membra.

VII. Vidit Christum resurgentem, et quidem cum ingenti lucro et sobole suæ posteritatis. Ubi? Quando Isaacum sibi restituendum in spiritu prævidit, non dubitans eum a morte resuscitandum; ob quam causam ad servos dixit: *Ego et puer illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Quomodo puer, si immolatus erat? Quia nimirum credidit, quia et a mortuis resuscitare potens est Deus, ut ait apost. ad Hebr. XI. Promiserat enim ipsi semen longævum ex Isaac. Vidit ergo redivivum Christum, cum vidit Isaacum, quem jam pro mortuo habuit, servatum, sibi in incolumem a Deo redditum. Vidit redivivum cum ingenti gaudio et cumulo electorum e limbo eductorum, partim una cum ipso resurgentium, partim suo tempore resuscitandorum ad æternam vitam, quando audivit a Deo, ibidem: « Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum

sicut stellas cæli, et velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Quæ omnia in Christo impleta sunt, uti etiam prædixit Isaïas, cap. LIII. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Atque hinc processit gaudium Abrahamæ ex Christi, inquam, resurrectione prævisa in filio suo, sibi quasi ab inferis restituto. Verum antequam ad hoc gaudium veniret, prius viam mœstitiæ ambulare debuit, cum in montem Moria ascenderet filium immolaturus. Sic igitur et nos prius per hos dies Christo compatiamur, et passionem ejus cum mœrore recolentes pergamus cum eo in montem Calvaria. Sic fiet, ut in paschate redivivum recipiamus, exultemus et gaudeamus dicentes: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.*

## CONCIO V.

CHRISTUS ARIES GREGIS, HOC EST, DUX ET CAPUT MARTYRUM.

I. Quia præcellit omnes martyres ob personæ excellentiam. — II. Præcellit passionis duratione. — III. Passionis acerbitate. — IV. Præcellit causa. — V. Præcellit effectu.

## THEMA.

*Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est.* Joan. VIII.

Videre aliquem dicimur, et non solum cum in propria persona ipsum intuemur, sed etiam cum in aliquo simili, imaginem vel figuram. Non vidit Abraham Christum modo priore, sed hoc posteriore, et quidem tunc, quando inhibitus ab immolatione filii, post tergum vidit arietem inter vepres cornibus hærentem, quem loco filii mactavit, Gen. XXII. Ita enim S. August. serm. XVII. de temp. *Aries ille qui inter spinas tenebatur, et ipse typum Domini habuisse videtur. Nam et Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clavorum confusione pendebat.* Sed hic quæstio occurrit, cur aries, non alia de grege ovis Abrahamæ objecta est? Ovis certe est aries, de qua Isa. LIII. dicitur: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, non tamen præcise ovis, sed ovium dux et præcessor, quod aperte exponitur Jerem. XI. ubi habetur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam:* in Hebr. *Ego quasi agnus dux reliquorum;* uti Blasius Viegas advertit in cap. XII. Apocal.

martyres sunt oves, teste apost. ad Roman. VIII. *Æstimati sicut oves occisionis.* Horum ergo dux Christus est, velut aries gregis ductor; qui proinde a Sancto August. appellatur *Caput martyrum*; uti serm. II. de S. Stephano: *Christus ergo caput martyrum prior, passus est.* Non quidem ita prior, ut nullus eum martyr tempore præcesserit (fuere enim ut in veteri Testamento martyres) sed prior in novo Testamento, et ita prior, ut nullius passio, sive in nova, sive in veteri lege, passionis ejus comparari queat; sed omnes quotquot erunt et fuerunt martyres, palmam ei cedere, et quidem infinitis parasangis debeant. Verissime enim S. Ambros. lib. X. in cap. XXII. Lucae: *Passio Domini, inquit, æmulus habet, pares non habet.* Nunc ergo videamus, quantum Christi passio præcellat passiones quorumcumque martyrum.

I. Præcellit personæ excellentiæ, quia passio ipsius Dei fuit, reliquæ hominum fuere. Unde S. August. sent. CCLXXV. ait: *Christi passio omnes superat passiones, quia cum auctore universitatis nulla cujusquam est comparatio creaturæ.* Homines passioni ac morti obnoxii sunt, rei præsertim; Deus vero a morte et passione alienissimus est, qui nec mori potest, nisi assumpta aliqua natura mortali, quod fecit Dei Filius; et præfiguratus est in Isaac et ariete. Aries mactari et immolari debuit, quia oves ad macellum spectant: non Isaac, innocentissimus filius. Homines quasi oves sunt, et quasi oves errarunt omnes. (Isa. LIII.) Christus Dei Filius erat, cujus natura mortem excludit, et innocentia non commeruit. Non de pari corio luditur, quando vile aliquod mancipium provocat regem ad duellum: nec paris miraculi est cum se homo ad mortem offert, et cum Deus. Quanto excelsior est persona, tanto major est depressio, cum se ad crucem usque demittit: quis autem Deo excelsior? Hinc verissime Dei Filius per os prophetæ dixit, Ps. LXXVII. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris et in umbra mortis, sive in lacu infimo, ut Hebræi et Græci legunt. Quis est autem, inquit S. Aug. in eum locum, lacus infimus, nisi profundissima miseria, qua non sit profundior. Unde alibi dixit: Eduxisti me de lacu miseriæ.* Nec enim ullus unquam hominum tam natura et nobilitate sublimis, tamque moribus innocens patibulum subiit, aut tam indigna passus est, uti Christus Dominus.

Ad hæc ipse posuit animam suam tamquam dominus vitæ suæ; non ita martyres, qui dederunt Deo vitam, quam ab eo acceptam, jure merito restituere eidem debeant. Unde Macchæorum martyrum tertius linguam et manus

postulatus ut extenderet, ait: *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio.* II. Macch. VII. quasi dicat, Restituo Deo, quod accepi ab eo. Itaque martyres vitam aliquando morituri necessario Deo redditori erant, solum anticipatione aliqua obtulerunt: velut si subditus fundum cedat domino suo vivens, quem cedere debet moriens. Magis Deo subjecti sumus, quam sint bruta nobis. Ea vero ad usum et delectationem nostram capimus, vexamus, agitamus, mactamus. Quid mirum si eodem jure agat in nos Deus? Christus autem nemini mortalium subjectus fuit; in cujus proinde potestate erat ponere animam suam: martyres ad hoc vel a tyrannis coacti sunt, vel certe cogi poterant. Quis autem cogat Deum? Nonne ipse unico verbo: *Ego sum,* prostravit armatam in Oliveto cohortem? Hinc Dominus, Joan. X. *Nemo tollit eam (animam meam) a me, sed ego pono eam a meipso.*

II. Præcellit passionis duratione, adeo ut a S. Joanne. Apoc. XIII. dicatur *Agnus occisus ab origine mundi.* Qua ratione vero? Primo quidem per figuras varias, ut minori scandalo esset, et magis fidem mereretur (uti notat Tertullianus, lib. contra Judæos, c. X.) ab initio mundi prænuntiatum est. Primo, in sacrificio Abelis, qui ovium primogenita obtulit Deo, deinde ipsemet a fratre quasi agnus innocens occisus, et victima Deo factus est, Genes. XIIII. Secundo, in sacrificio Abrahamæ, quando loco filii immolavit arietem, Gen. XXII. Tertio, in agno paschali, Exod. XIII. Quarto, in jugi sacrificio, seu agno quotidie mane et vespere offerendo, Exod. XXIX. Verum hæc figuræ nihil doloris attulere Christo. Secundo igitur occisus est ab origine mundi, et adhuc occiditur usque ad finem illius, dum in omnibus servis et membris suis, præsertim martyribus, et ipse passus et occisus est, patitur et occiditur, velut Dominus et caput eorum. Ita scribit S. Paulinus, epist. XXVII. ad Aprum. « Ab initio, (inquit) sæculorum Christus in suis patitur et triumphat: in Abel occisus est a fratre: in Noe irrisus a filio: in Abraham peregrinatus: in Joseph venditus: in Moyse expositus et fugatus: in prophetis lapidatus et secutus: in apostolis terra marique jaclatus: in martyribus toties et tam varie occisus. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in se odit hic mundus: sed gratias ipsi, quod vincit cum judicatur et triumphat in nobis. » Similiter loquitur S. Cyprianus, libro de laude martyrii: *Martyr in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur Christus, quam patitur,* inquit. Confirmari hoc ex eo potest, quod in vita S. Francisci Xaverii, lib. VI. cap. IV. scribit Tursellinus, in Xaverio castello,

adeoque in ipsa natali Francisci domo ligneam Christi crucifixi effigiem, « Quoties Xaverius gravius aliquis pateretur in India (quod ex ejus litteris domestici collatis temporibus compererunt) haud dubio sudore fluxisse: porro eo ipso anno quo Xaverius extinctus est, feriis sextis deinceps omnibus per annum totum sudasse sanguinem. » Quemadmodum igitur arca fœderis toto tempore, quo per Jordanem transiere Hebræi, in medio Jordanis alveo stetit, et impetum aquarum sustinuit, Jos. III. ita verissima fœderis arca Christus omnium membrorum suorum passiones et ipse quasi pertulit, in medio tribulationis cum ipsis existens. Hinc Matth. XXV. ait: *In carcere eram, et visitastis me*; utique in sanctis martyribus et aliis justis, in quibus et ipse quasi pugnat, juxta id Cypriani: *Christus summus fuit martyr, hodieque pugnat et vincit in martyribus*, tr. de duplici martyrio. Accedit S. Augustinus in Psal. CXLII. scribens: « Nisi Christus et in membris suis, hoc est, fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in cœlo sedentem non prosequeretur. » Denique passio Christi non uno aut altero die, sed tota ejus vita duravit; siquidem eam distinctissime per omnia prævisam præ oculis semper habuit: cujus proinde toties mentionem fecit. Et hinc est quod Marci X. ad discipulos suos dixit: *Calicem quidem ego bibo, bibetis: et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*. Quomodo jam tunc calicem passionis bibit, et baptizatus est suo sanguine, eum necdum pateretur, sed ascenderet primum Jerosolymam ad patiendum? Utique per prævisionem, qua calicem illum menti suæ obversantem continuo quasi hauriebat.

III. Passionis acerbitate. Nam in primis alii martyres subinde recreati fuere cœlesti consolatione, et quasi rore aliquo in æstu tormentorum aspersi, uti plurimi attestati sunt: at non ita Christus, qui omni prorsus solatio in passione destitutus fuit, quod indicavit eo verbo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et iterum quando ad montem Oliveti pergens, brevi capiendus dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Luc. XXII. Privata nimirum omni consolatione, quam in parte inferiore sentiret: *Sequestrata delectatione divinitatis æternæ, lædio meæ infirmitatis afficitur*, inquit ibi S. Ambrosius, Luculentius, Laur. Justin. I. de agone Christi, c. I. *Deus ait, in puris naturalibus partem sensibilem reliquit. Fluente enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu quo solebant emanarent in ipsum*. Divinitas ergo Verbi vires quidem ad patiendum humanitati dabat: non tamen delectationem aliquam ex beatitudine animæ sensitivæ ejus parti communi-

cabant, qua asperitas passionis aliquantum mitigaretur. Merum igitur purum fel sine omnium mellis admixtione hausit Dominus, quia pro omnibus patiebatur, juxta id Ps. LXXIV. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*. Quomodo merum si mixtum? Utique merum ipsi Domino, mixtum aliis consolatione aliqua. Quam ob causam videretur respuisse vinum myrrhatum, porrectum sibi ante crucifixionem, ne consopitis inde sensibus dolores minus persentisceret. Quod ut Hebræis etiam modo aliquo insinuaretur, quo suo redemptori gratiores se exhiberent, præceptum eis est, ne mel sacrificiis suis adderent, Lev. II. quia videlicet Christus sine omni consolatione melle peccata eorum expiaturus esset.

Deinde, quia a propriæ gentis hominibus passus est, necnon a proprio discipulo traditus, uti queritur Ps. LIV. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero homo unanims, dux meus et notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc.* q. d. ut exponit Theod. « Ea quæ ab inimicis fiunt, toleranda et ferenda censemus: omnium molestissimum mihi videtur virum familiarem et concordem non sodalem et convictorem factum, et divinarum et humanarum rerum mecum conscium res inimicas et hostiles facere. » Hinc Dominus ascendens Jerosolymam ad patiendum, quasi ad festiva gaudia iret, præcedebat suos discipulos, ita ut ipsi stuperent magna animi alacritate, Marc. X. At quando eis in cœna exposuit, quid ab uno discipulo passurus esset, *turbatus est spiritu, et dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Quasi solam discipuli perfidiam sentiret ac doleret. Omnes ad extremum, a quibus passus, fuerunt creaturæ et servi ejus. Quid autem atrocius, quam a propriis mancipiis vexari, opprimi, cruciari?

Denique, quia supra vires humanas patiebatur, si D. Laurentio Justin. supra cit. c. XIX. credimus. « Etenim, inquit, sane supra naturam erat, ut homo in tantis corporis doloribus constitutus viveret. Vivificabat ergo prorsus seipsum, ut ad tam diversa perferenda supplicia habilis fieret. Nam absque dispensatione agi non potuit ut mortalis caro in passionis vegetaretur igne, et in tribulationum non absorberetur pelago. »

IV. Præcellit causa. Nam in primis Christus passus est bono et salute hominum; non ita martyres, qui sua passione non poterant hominibus parere salutem, quam ipsimet expectare a Deo debebant; itaque sibi tantum et suæ salutis consulebant, sibi coronas parabant, dum in stadio pugnabant. Ipsi fuderunt sanguinem ad instar ægrotorum, qui secant venam, ut sanitatem

recipiant: Christus usquequaque sanissimus venas suas aperuit, ut salutem ægro generi humano compararet, idque mero et gratuito amore, nihil a nobis mercedis expectans, uti Zacharias canit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, Lucæ I. Quod si martyres pro accepto redemptionis beneficio vitam Christo offerebant, eam non tam dabant, quam reddebant. Audiamus Salvianum, lib. IV. de providentia. « Prima, inquit, hæc retributio est, ut mortem pro morte reddamus, ac pro eo omnes: tametsi minoris multo pretii mors nostra est, quod mortuus pro nobis est, pro nostra nos moriamur, quam sua. Quo fit ut etiamsi mortem suscipiamus, debita tamen non exolvamus, etc. » Deinde causa, propter quam a Judæis ad tam dira tormenta, tamque infamem mortem condemnatus est, fuit iniquissima, summæ ingratitude conjuncta. Nemo unquam talia et tanta beneficia mundo contulit, nemo conferre potuit, quanta Christus impertit: nemo igitur unquam tam iniquam mercedem accepit: nullius igitur martyrium passioni ejus comparandum, nedum præferendum. Eam ingratitude insinuavit Dominus, Joannis decimo: *Multa bona opera, inquit, ostendi vobis ex Patre meo, propter quod coram opus me lapidatis?* Et Psalmo trigesimo quarto: *Retribuunt mihi pro bonis, sterilitatem animæ meæ*; ut nimirum labor, conatus, opera, posteritas, nomen, memoria mea extingueretur. Quanta hæc ingratitude! Quantum ea urit homines præsertim sapientes! Quantum infigit aculeum! Cuculi ingratitude in proverbium abiit, quod ab aliena matre fatus, exclusus, altus, et quidem præ cæteris liberalius, tamquam major aliis pullis, summeque adamas, tandem devoret altricem suam, apud Aldrov. lib. V. orient. cap. XVII. At hoc idem rependit synagoga summo benefactori et nutritio suo Christo.

V. Præcellit effectus. Suo enim ductu et exemplo traxit hic aries post se innumerabilem gregem martyrum, qui omnes velut oves occisionis sponte sua perrexerunt; imo anhelarunt ad macellum, ut duci suo in passione, quoad possent, conformes fierent. Sicut ergo ascendente Domino in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, Matth. VIII. ita ascendente eo in crucem, secuti sunt eum martyres sine numero. Unde S. Ambrosius, in cap. XXIII. Luc. ait: *Unus diei triumphus fecit omnes prope jam homines triumphatores*. Propterea tyrannus quidam, teste D. Chrysostomo, sermon. in Juventinum et Maximum, rom. III. bellum movere Christianis manifeste volebat: *Omnes enim, dicebat, ad martyrium quasi ad alvearium apes volabunt. Hæc autem non a semetipso habebat, sed a progenitoribus suis didicerat*. Fuit itaque sanguis Christi quasi modicum fermenti, quod pervasit, vivificavit et roboravit orbis massam universam.

Deinde a passione Christi desumpsere suas ad patiendum vires quicumque alii martyres, ut testatur Joannes Baptista, Joan. I. *De plenitudine ejus (Christi) omnes nos accepimus*. Quod videtur indicasse Dominus, quando in die resurrectionis suæ oblatum sibi piscem comedit, et reliquias dedit discipulis, Luc. XXIV. Ipse enim in cruce totus igne amoris quasi piscis assus fuit, cujus gusto roborati discipuli aliique innumeri ad martyria prosilierunt.

Jam vero postquam ducem et caput martyrum vidimus, superest, ut nos etiam cum capite velut membra patiamur in hoc mundo, si cum ipso glorificari cupimus in cœlo. « Pudeat, inquit S. Bernardus, serm. V. de omnibus sanctis sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibuit. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. »